



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Iacobi Bosgrauij, n. 12

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

tum poenitentiae tam admirandae, quae dogmata alia tam inaudita, ut ne ad au- 1585
res quidem Generalis *Claudij* peruenire potuerint, nisi narrante *Haywodo?*
quod *Holpinianus* vult esse in literis: Quas cum ipse non existimauerit esse
in lucem edendas integras, & post viginti annos mancas recitauerit, eo fictio-
ni propinquiores demonstrat; praeterquam quod in annorum Societatis, &
Professionis numero, multum aberrat a vero; & non vnus *Haywoodum* hac
caelumnia conspurcare, sed & *Campianum* & *Personium* & praecipue *Garnet-*
tum faedissimis prolcindere pergit iniuriis, ut falsis indicibus vltim esse, aut
fallere voluisse necesse sit, & quae ex face ea tota fabula in auras emerferit
prudens quisque atque consideratus perspicere non difficulter queat.

XI. *Jacobus Bosgravius* Godmanstonij in agro Dorcestrensi natus, Rhetoricae & Philosophiae dedit operam Romae; in Societatem cooptatus decimo septimo Nouembris anni sexagesimi quarti: In Germaniam deinde & Poloniam profectus, Sacerdotio initatus est Olomucij anno septuagesimo secundo. Tum Rhetoribus, Philosophis, Mathematicis, de Religione quaestio-
nibus, Graecis etiam & Haebraeliteris explicandis annos duodecim inlump-
sit. Anno eius saeculi octogesimo, recreandae inter caetera valetudinis gratia
in patriam redux, quam carcer medicinam aegritudini facere posset confestim
experiri necesse habuit. Nam breui interuallo captus, in summi Tribuni se-
dem datus est custodiendus. Isthic fortitudo in perferendo, scientia in dicen-
do quantum imbecillitati corporis emineat palam ostendit. Volitabant per
ea tempora *Walkerus* & *Fulkus*, & huiusmodi permulti errorum Magistri,
audi gloriae; quicum vinculis onustos Sacerdotes, quos non poterant lupe-
rare argumentis, clamoribus grauassent, victoriam suo de cerebro natam in
vulgus spargebant: *Bosgravius* igitur, *Sherwinus*, *Hartus*, & alij, ne quid Re-
ligio damni pateretur ab mendacio, publicam disputationem petunt ijs con-
ditionibus, quae (si seruatae) non rumore falli sinerent, sed ipsa re veritatem
docere possent eos qui audirent: Neque refugere videbantur aduersarij: In il-
lius anni mense nono, *Georgius Caræus* ei sedi Praefectus, ad Commentarien-
sem transmittit mandata, ut si inter Papistas (quo nomine per ludibrium vo-
cabat Catholicos) si, inquam, essent qui Religionem suam cuperent disputan-
do defendere, Capita conscriberent, nominibusque defendentium appositis
pararent se ad conflictum; breui post tempore se quo loco, quo tempore, &
quibus conditionibus disceptatio ineunda esset significaturum. Scribuntur
Capita, adduntur nomina, traduntur obsignata, mittuntur ad Caræum, & ad
pseudo Euangelij Ministros. Non placent istis quae a Sacerdotibus collecta
sunt argumeta certaminis; dant alia, quae nostri non recusant; Dies dicitur vi-
gesimus nonus Decembris, Thomae Cantuariensis sacer: magna est expectatio
dici & concertationis. At aduersarij diem non expectantes, *Bosgravius*
& *Hartum* rapiunt in Arcem cruciatibus non disputationibus exercendos.
Nam *Sherwinum* pridem ipsis nonis eius mensis eodem transtulerant, & deci-
moquinto & vndeuigesimo diebus crudelissime torserant, quo firmior, sci-

*Jacobus
Bosgravius*

*Catalogus
Romanus
Ai, 1560,*

Capitulum

*Petit cum
alijs publi-
cam dispu-
tationem,*

1585. licet, esset ad certamen literarium sustinendum, quod deinde cum *Campiano*, uti memorauimus in initum est, *Bosgrauio* quidem præsentem cum alijs, quanquã nemini præterquam *Campiano* & *Shermino* dicendi potestas fuit. Respondenti deinde *Bosgrauio* de capite tria obieiebantur. Negasse Regiñæ supremam potestatem in spiritualibus: Interrogatum de Bulla *Pij* nihil certi respondisse: Auditum accepisse Pontificem, Hispaniarum Regem, & magnum ducem Hetruriz in Reginam conspirasse, neque id Magistratui Anglo detexisse. Quasi verò quidquid huius generis auditu accipitur id à singulis debeat confestim ad Magistratũ deferri cum quo fundamento dicatur incertum est, & plurimæ sint viæ multo certiores quibus ista cum primum concipiuntur ad Magistratus perueniant. Consensisse autem cum *Campiano* & cæteris ad tollendam Reginam (quæ feralis sententiæ causa fuit) qui potuit is qui maximis regionibus disiunctus tam multis annis tamque suis ignotus vitam egit ut maternæ etiam linguæ obliuisceretur; neminem autem eorum quibuscum conspirasse accusabatur nisi cum in carcerem venit conspexisset: *Sed vilis est vita cuiuslibet quem qualibet de causa oderis*: atque ita iudicari Hæreticorum rationibus vtile existimabatur. Attamen hunc capite inter cæteros damnatum non necesse, sed exilio mulctarunt, ea fortasse de causa quod *Stephanus* Poloniæ Rex illum pridem ab *Elizabetha* repetierat, magno cum ornans præconio in hæc verba.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ,

Magnus Dux Lithuaniz, Serenissimæ Principi

Domina Elizabethæ, eadem Dei gratiã, Angliæ.

Detinetur iam pridem vincus in Regno Serenitatis Vestræ *Iacobus Bosgrauus* Theologus Societatis *Iesu* & Professor in Academia Vilnensi nostrã, (ad cuius pietatem & Doctrinam ora multi obuercerunt (sua) nullam aliam; ut audiuius, ob causam nisi quod Catholicam Romanam Religionem cum lacte ipsò materno hauitum complexus, nauiter adhuc profiteatur. Equidem non dubitamus quin Serenitas vestra intelligat quanti interfit hominem pietate & eruditione præstantem ab Academia ea quam ipse quasi excolere diligenter expetat tanto abesse tempore. Nos quidem certè absentiam eius rei literariæ multum incommodatissimè perspicimus, quæ causa est ut diligenter à Serenitate Vestra petamus, velit in gratiam nostram cum Theologum liberum nobis transmittere, ut in pristina locatus statione pietatem literalque bonas nostros edocere pergat, qui Ecclesiæ & Reip. magno futuri sunt vsui & ornamento. Non dubitamus Serenitatem vestram pro sua erga nos benivolentia hunc hominem donaturam esse, neque commissuram ut cum Serenitatis vestræ hominibus Religione quã libet in Regno nostro pijs esse liberum sit, nostris capitale esse debeat; cum cæteroqui speremus breui futurum esse ut Serenitas vestra benignitate & clementia sua Regia cæteros itidem Catholicos iubeat esse liberos. Fecerit Serenitas vestra rem humanitati consentaneam, nobis vero admodum gratam: quam bene ac feliciter valere cupimus. Datum Niepolomicijs die vigesimo nono Ianuarij, Anni Domini M. D. LXXXIII. Regni vero nostri

vero nostri anno septimo. Tantam autem humanitatem nondum n. 1587.
 duerat *Elizabetha*, quin rem iudicio permiserit experiendam, ut si quæ cau-
 sa iusta reperiri posset damnandi non parceret; cum nulla reperta esset quasi
 in gratiam Regis remitteretur. Rursus igitur in Poloniam ab litore Gallico Exulat
 profectus, reliquam in ea Prouincia consumpsit ætatem, trium votorum Pro-
 fessus Calizij vigesimo quinto Aprilis Anni sexcentissimi quarti, atq; vnde-
 gesimo post anno septuagenario maior, sexto Calendas Nouembres duplici ex-
 ilio liber migravit è vita, laboribus & cruciatibus repositam lauream accepturus.

XIII. *Ioannes Hartus* antequam in Societatem admitteretur sociustribula-
 tionum, ut primum in hostium manus venit missus est Oxonium, qua in Aca-
 demia gradu Baccalaurei in Theologia insignis fuerat, & quoniam ad ex-
 cellentem doctrinam (omnium enim Sacerdotum eius temporis doctissi-
 mum prædicat Camdenus) species oris & totius corporis dignitas accesserat,
 sperabant, si non argumentis, at blandimentis atque promissis, & veteris Aca-
 demie gloria capiendū. Duos vel tres menses illa tenuit aucupatio. Cum oleum
 & operam perderent, remittitur Londinum ad carceres. *Bosgrauius* & *Sher-*
winus additur comes in summi Tribuni sede primum, tum vnà ad Arcem Cruciatu;
 rapitur. Rei capitalis cum Briantio & locijs damnatur. Post sententiam rursus
 sermonibus & cruciamentis aggrediuntur quater omni armorum gene-
 re munitam constantiam; demittunt in caueam viginti pedes in terra
 profundam, aëre humido, pædore & tenebris horridam: Post nouem dies
 extractum atque eò paratiorem, scilicet, ad luctandum committunt cum
 Reynaldo inter hæreticos Doctoris nomine gloriante, ut quod vexationi de-
 rat argumentis euincerent. At ille ex infirmitate fortior, prostrato aduersario,
 quanta sit veritatis vis præ inani titulo facile demonstrauit. Perseuerantem in
 sententia onerant ferro, tum alios quatuor supra quadraginta dies rursus in
 caueam demergunt. In istis vnus & alter abijt annus, ut non immeritò ex com-
 miltionibus vnus scripserit, "*Ioannem Hartum* difficile & diuturnum certa-
 men subiisse: quieto tamen pacatoque esse animo.) Atque hæc cum præter
 Iudicis sententiam, præterque legum ordinem, priuatorum hominum arbi-
 trio ad vnus hominis animum infringendum commutandumq; excogitata,
 proposita gesta sint (nam damnato non plus irrogandum est pænæ quàm sen-
 tentia postulat) videre est quàm iniqua cõditione apud huiusmodi humanitatis
 expertes viros Sacerdotes detinebantur, vbi quod cuique liberet cruciamenti
 genus inferre licitum statim esset; tum certe quantum illis decedit honoris,
 quod nè vnum quidem nostrorū tot machinamentis à sententia dimouere po-
 tuerint, tantum triumphatori Christo accedit gloriæ, qui veritatem & virtu-
 tem omnibus Dæmonis artibus reddidit potentior. In exilium deinde cum
 primis eiectus, *Viriduni* Societatem inijt, quam tanto ardore in vinculis expe-
 ctierat ut iam tum cenferetur coopatus. *Viriduno* Romam atque in Poloniam Exulat,
 missus, *Iaroslauij* diem clausit extremum, decimo quarto calendas Augusti
 anni consequentis. Septem deinde post annos cum aperiretur sepulchrum ut Mortitur,
 ex alieno Annales Ia-
rosslauien-
ses, Ai 94.
& 95.